



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

XXI. De Agapeto papa, & Anthimo Constantinopolitano episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

pulsus abscessit. Et post menses duos Narses cubicularius missus ab Augusta Theodora, Theodosium quidem in thronizauit, porro Gaianum misit in exilium. Qui adductus Carthaginem magnam, & inde quasi Sardiniam directus, quid de eo contigit, ignoratur. Mansit autem Theodosius in sede annum unum & menses quatuor, paucis ei communicantibus. Plurimi enim communicabant ad nomen Gaiani. Populi autem pugnauerunt pro Gaiano multis diebus. Qui cæsi a militibus, maiorem sui partem amiserunt. Sed & militum maior cecidit numerus. Vinciebatur autem Narses non armis, sed ciuitatis concordia. De superioribus domorum iactabant mulieres super milites quidquid manibus occurrisset. At ille igne vidit, quod ferro non potuit. Diuisa est usque nunc illa ciuitas hoc schismate, ut Gaianitæ & Theodosiani in ea vocentur, id est, Phantasiastæ & Corrupticolæ. Nouissime Theodosius de sede discessit, non ferens seditiones & bella, quæ contra eum exercebantur a populo. Missus est Constantinopolim cum honore, eo quod ita Augustæ scripta præciperent. Quo illo veniente, promittebat Augusta imperatori, quoniam posset Theodosius Calchedonensem suscipere Synodum: sed persistente & nolente eo, cum eius voluntate foras ciuitatem regiam sexto milliario in exilium missus est, iuxta basilicam Arisphœcæ, in via quæ dicit ad Stomapontem. Viuitque usque nunc.

*De Agapeto papa, & Anthimo Constantinopolitano
episcopo.*

CAPUT XXI.

VERVM mortuo Ioanne Mercurio, Agapetus archidiaconus Romanæ ecclesiæ papa ordinatur, in regulis ecclesiasticis apprime eruditus. Quo tempore Theodatus rex Gothorum scribens ipsi papæ & senatui Romano, interminatur, non solum senatores, sed & vxores & filios filiasque eorum gladio se interempturum, nisi egissent apud imperatorem, ut destinatum exercitum suum de Italia submoueret. Sed papa pro eadem causa legatione suscepta, Constantinopolim profectus est. Et primum quidem honorifice suscipiens directos sibi ab im-

peratore , spreuit tamen animo præsentiam , eumque ad salutandum suscipere noluit. Deinde viso principe , causam agebat legationis suscep^{tæ}. Imperator autem pro multis fisci expensis ab Italia destinatum exercitum auertere nolens , supplicationes papæ noluit audire. At ille quod * sumnum fuit , Christi legatione fungebatur. De- ^{fusum}
nique potentibus principibus , vt Anthimum papa in salutatione & communicatione susciperet , ille fieri inquit posse , si se libello probaret orthodoxum , & ad cathedram suam reuerteretur. Impossibile esse aiebat , translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta vero clam promittente munera multa , & rursus papæ minas intantante , in hoc papa perstitit , ne eius audiret petitionem. Anthimus vero videns se sede pulsum , pallium quod habuit , imperatoribus reddidit , & discessit , vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc papa principis fauore * Menam pro eo ordinavit antistitem , consecrans eum manu sua in basilica sanctæ Mariæ. Fuit iste * Menas præpositus xenodochii maioris , quod vocatur Samson , gene^rre Alexandrinus , suscipiens Calchedonensem Synodum.

De Siluerio & Vigilio.

C A P V T X X I I .

His peractis , constituens papa apud imperatorem a pocisarium ecclesiæ sua Pelagium diaconum suum , dum in Italiam reuerti disponit , Constantinopoli obiit. De cuius decessu audiens Romana ciuitas , Siluerium subdiaconum , Hormisdæ quondam papæ filium , elegit ordinandum. Augusta vero vocans Vigilium Agapeti diaconum , profiteri sibi secreto ab eo flagitauit , vt si papa fieret , tolleret Synodus , & scriberet Theodosio , Anthimo & Seuero , & per epistolam suam eorum firmaret fidem ; promittens dare ei præceptum ad Belissarium , vt papa ordinaretur , & dari centenaria septem. Lubenter ergo suscepit Vigilius promissum eius amore episcopatus & auri. Et facta professione Romam profectus est : vbi veniens , inuenit Siluerium papam ordinatum. Quin & Rauennæ reperit Belissarium in eadem vrbe sedentem , eamque obtaintentem. Cui tradens præceptum Augustæ , promisit ei duo auri centenaria , si Siluerio remoto , ordinare- ^v
tur